Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31639
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

diuini muneris ordo declaratur. Benedices
coronam anni benignitatis tuae et campi tui
replebuntur ubertate. Corona anni totus hic
mundus conuenienter aduertitur. per quem catholi
ca dilatatur ecclesia. Benedicit enim dominus quos
uere fecit christianos. flumine. riuo. stillicidio.
quae iam superius dixit. Denique uide quod sequitur.
Et campi tui replebuntur ubertate. Campos
dicit fideles homines atque iustos. qui aequalitate
camporum aequissimo pectore comparantur. Tales enim
ubertate replentur. quia fructum tricenarium
et sexagenarium uel centenarium domino largi
ente praestabunt. Pinguescent fines deserti
et exultatione colles accingentur. fines deser
ti populi gentium sunt. ad quos nullus propheta fue
rat destinatus. sed toti in iudea natione pro
phetabant. Isti ergo fines deserti. pingues
magno munere diuinitatis effecti sunt. quando
ad eos apostolorum sancta peruenit praedicatio. et gratia
domini per fidem decori facti sunt. quos pridem
incredulitatis macies horrenda torrebat.
Prima denique satio per prophetas in iudea natione
peruenit. secunda in gentibus per apostolos longe la
teque diffusa est. Sed plus de istis finibus deserti
frumentum uirtus domini conquisiuit. quam de il
lis terris quae cultae uidebantur apparuit
sicut per prophetam dicit. Laetare sterilis quae non paris.
erumpe et clama quae non parturis. quia multi
filii desertae. magis quam eius quae habet
uirum. Colles uero copiosos martyres debemus
accipere. quia ipsi sunt post apostolos celsiores. Hoc
enim significat exultatione accingentur. quia prae
stante domino peruenerunt ad aeternum gaudium per
tolerantiam passionum. Induti sunt arietes
ouium. et conualles habundabunt frumento.
et enim clamabunt et ymnum dicent. Induti
sunt illam uestem significat nuptialem. qua arietes
ouium. id est apostoli et ceteri sancti uestientur. qui docto

res bonae duces extiterunt populo christiano. Sequitur. Et conual
les habundabunt frumento. Conualles populos
significat humiles. quia nichil his humilius. qui in
quadam terrae concauitate descendunt. Isti ergo humi
les habundabunt frumento. sicut ille publicanus
qui nec oculos audebat ad caelum erigere. nec
aliquorum meritorum praesumptione confidere habundauit
frumento. nam quia humilis conuallis fuit erectus.
quia praestante domino se ipse deiecit. Et ideo fortior
factus est. quia uires suas inualidas esse confessus
est. Addidit. Clamabunt et ymnum dicent. id est
laudem quae rationabilibus creaturis noscitur
conuenire suauiter. Conclusio.
Intelligamus populum illum beatum. qui uenit ad
dominum christum. qualiter suauitate laetatus est. et sciamus in
aestimabile esse beneficium. quod tanta legitur exul
tatione celebratum. Ymnum quoque eius quem primo uer
su psalmi promiserat. quanta gratia diuersitatis
ornauit. laude incarnationis eius mirabili bre
uitate describens. et quod mundo praestiterit. fidei
institutor edocuit. Ad postremum in resurrec
tione uentura uniuersos sanctos eius ymnidica
in eo dicit exultatione gaudere. Sic et praesentia mi
rabili breuitate narrauit. et ad spem maximam
concitandam. futura nobis praemia compromisit.
Tribue rex caelestis. ut et nos erepti ab aridita
te peccati. flumine misericordiae tuae copiosius irriga
ti pinguescere mereamur. ut ymnum cum sanc
tis tuis tibi iugiter decantare possimus.

LXIIII. In finem psalmus dauid.

Quamuis canticum resurrectionis.
haec nomina quae in capite tituli sunt posita prae
missa expositione uideantur esse notissima.
tamen non erit inportunum scientibus in titulum
ipsa repetere. ut intentio totius inscriptionis eui
dentius possit agnosci. In finem quod dictum est.
respicit ad dominum saluatorem. sicut dicit apostolus. Finis e
nim legis christus. ad iustitiam omni credenti. Scal